

BX1749

75

V.2

1884-



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

10744

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

D. Thomas, I^a II^a, a q. 6 ad q. 21.

PROLOGUS EX S. THOMA

[« Quia ad beatitudinem per actus aliquos necesse est pervenire, oportet consequenter de humanis actibus considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis via. Sed, quia operationes et actus circa singularia sunt, ideo omnis operativa scientia in particulari consideratione perficitur. Moralis igitur consideratio, quia est humanorum actuum, primo quidem tractanda est in universali, secundo vero in particulari.

» Circa universalem autem considerationem humanorum actuum, primo quidem considerandum occurrit de ipsis actibus humanis, secundo de principiis eorum. Humanorum autem actuum quidam sunt hominis proprii, quidam sunt homini et aliis animalibus communes. Et quia beatitudo est proprium hominis bonum, propinquius se habent ad beatitudinem actus qui sunt proprie humani, quam actus qui sunt homini aliisque animalibus communes. Primo ergo considerandum est de actibus qui sunt proprii hominis, secundo de actibus qui sunt homini atque animalibus communes, qui dicuntur animæ passionibus¹.

1. De passionibus agetur in tractatu sequenti.

ТОМ. II,

008023

» Circa primum duo considerata occurrunt : primo, de conditione humanorum actuum; secundo, de distinctione eorum actuum. Cum autem actus humani proprie dicantur qui sunt voluntarii, eo quod voluntas est rationalis appetitus, qui est proprius hominis, oportet considerare de actibus in quantum sunt voluntarii. Primo ergo considerandum est de voluntario et involuntario in communi; secundo, de actibus qui sunt voluntarii quasi ab ipsa voluntate elicti, ut immediate ipsius voluntatis existentes; tertio, de actibus qui sunt voluntarii quasi a voluntate imperati, qui sunt ipsius voluntatis mediantibus aliis potentiis. Et quia actus voluntatis habent quasdam circumstantias secundum quas dijudicantur, primo considerandum est de voluntario et involuntario, et consequenter de circumstantiis ipsorum actuum in quibus voluntarium et involuntarium invenitur¹. »]

PRÆNOTAMINA

[Ut clare noseatur de quibus actibus in præsentî tractatu agendum est, distinctiones quædam sunt statuendæ.

Cum homo recte definiatur « animal rationale, » hi soli actus qui ex ejus naturâ perfecte, id est rationaliter, procedunt, ipsi sunt imputandi, ut humani et regulis moralitatis subjecti. Unde

Actus qui fiunt in homine necessario, ut respiratio, sunt quidem *naturales*; sed, ut ad animalitatem tantum pertinentes, sunt imperfecti et non proprie actus in sensu quem hic intelligimus, id est humani.

Sunt actus qui ex se quidem humani essent, si ad finem deliberate et libere referrentur, sed aliquando improvise exsurgunt sine ulla deliberatione et intentione, ut risus, qui procedit ex potentia enti rationali propria, sed sæpius non rationaliter. Tales actus nondum sunt humani, sed actus *hominis* vocantur, ut ab homine procedentes modo non perfecte humano.

1. Hic q. 6.

Actus *humanus*, in sensu theologico, est igitur operatio ab homine humano modo procedens, id est rationaliter seu ex deliberata voluntate, consequenter cum cognitione finis et libere. Is ad hominem ut supra definitus est revera pertinet.

Actus humanus procedit a voluntate vel immediate, absque alterius facultatis adjutorio, et est *elictus*, quia consideratur tantum in ipsa voluntate quæ operatione immanente eum elicit: tales sunt amor et odium. Si ille actus voluntatis in seipso non sistat et alium actum imperet, hæc ratione dicitur *imperans*. Actus vero qui non nisi mediate procedit a voluntate, id est imperio voluntatis determinatur et ab ejus actu proprio distinguitur, ut meditatio et deambulatio, est *imperatus*.

Actus humanus non tantum physice considerandus est; sed, cum ad finem cognitum et electum tendat, subjicitur regulis quæ prosecutionem finis legitimam vel illegitimam reddunt, et ex hoc capite constituitur in esse moris. Ideo actus humanus *moralis* efficitur ex relatione ad regulam honestatis seu morum: si ei conformis est, est *bonus*, quia « bonum est ex integra causa; » si ab ea discordet, est *malus*, quia « malum est ex quocumque defectu; » si vero nec contra nec juxta hujusmodi regulam est, actus est *indifferens*.]

DISSERTATIO I

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO

D. Thomas, q. 6.

ARTICULUS I

Quid et quotuplex sit voluntarium?

Dico 1^o: Voluntarium recte definitur communiter: « Quod est a principio intrinseco, cum cognitione finis. » Explicatur definitio. Per principium intrinsecum intelli-

gitur quivis appetitus elicitus, tam rationalis quam sensitivus; sed, quia inter appetitus elicitos principalior est voluntas, a principali appetitu denominatur voluntarium.

Itaque per primas particulas voluntarium distinguitur a violento, cujus principium est extra: item a voluto simpliciter, quod non procedit ab aliquo influxu voluntatis, sed est ejus objectum et terminus extrinsece denominatus a volitione; sic pluvia est volita ab agricola, non ipsi voluntaria. Per ultimas particulas distinguitur a motu naturali; quia, licet motus naturalis sit a principio intrinseco efficiente, non tamen est a principio intrinseco finali, seu non est cum cognitione finis, ut patet in motibus vegetativis et in motu gravium et levium in centrum: unde hujusmodi non dicuntur se movere in finem, sed moveri ab alio cognoscente a quo eis imprimitur principium suae motionis in finem. Item per has particulas excluduntur a ratione voluntarii actus intellectus praevertentes actum voluntatis et ab ea non imperati; quia, licet sint a principio intrinseco efficiente, non tamen supponunt cognitionem finis a qua causantur.

Dico 2^o: Voluntarium dividitur 1^o in *perfectum* et in *imperfectum*¹. Perfectum est quod procedit ex perfecta cognitione finis; imperfectum quod procedit ex imperfecta cognitione finis. Cum enim duo concurrant ad voluntarium, scilicet principium intrinsecum et cognitio finis, perfectio propria voluntarii per quam distinguitur a naturali, non potest repeti a principio intrinseco in quo convenit cum naturali. Ergo a sola cognitione finis, per quam distinguitur a naturali.

Hinc sequitur voluntarium perfectum soli naturae rationali competere, imperfectum brutis²; quia perfecta cognitio habetur quando non solum apprehenditur res quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis et proportio mediorum ad finem, et talis cognitio cum sit collativa et discursiva, soli intellectuali naturae competit. Imperfecta autem

1. Hic q. 6, a. 2, o. — 2. Ibid.

cognitio finis est quae in sola apprehensione rei quae finis est consistit, absque eo quod cognoscatur ratio et dignitas finis et proportio mediorum ad finem. Et talis cognitio finis reperitur in brutis per sensum et aestimationem naturalem. Ergo voluntarium imperfectum convenit brutis, perfectum soli naturae rationali: nec tamen omnibus ejus actibus, sed iis solum qui cum plena cognitione et advertentia procedunt; unde motus subitanei, motus puerorum, semiamantium, semidormientium, non sunt nisi imperfecte voluntarii.

2^o Dividitur voluntarium in *necessarium* et *liberum*. Liberum est quod procedit ab appetitu cum iudicio indifferenti et potentia ad oppositum, ut in homine cum plena advertentia agente circa bona creata. Necessarium, quod procedit ab appetitu cum iudicio determinato ad unum sine potentia ad oppositum, ut in brutis et motibus humanis praevenientibus deliberationem rationis.

3^o Dividitur voluntarium *in se* et voluntarium *in causa*. Voluntarium in se est quidquid procedit per se a voluntate expresso actu id volente, seu omnis actus qui per se intenditur, elicitur, imperatur, vel positive admittitur a voluntate; ut, si deliberate odisti inimicum, vis occidere, occidi imperas, volenti occidere positive consentis. Dicitur etiam voluntarium directum, expressum et explicitum. Voluntarium in causa est id quod in se immediate non intenditur, elicitur, vel imperatur a voluntate, sequitur tamen ex aliquo per se et in se voluto, et ideo censetur volitum in alio tanquam in causa: sic rixae sunt voluntariae in causa, illi qui se deliberate inebriat, sciens se in ebrietate passim rixari, licet aliunde rixas in se detestetur. Dicitur etiam voluntarium indirectum, imperfectum et interpretativum.

Ad hoc voluntarium indirectum seu in causa theologi communiter requirunt tres condiciones. Prima est ut effectus praevisus fuerit, aut debuerit ac potuerit humano modo praevideri secuturus ex tali causa; ejus defectu ebrietas non est indirecte voluntaria illi qui ignorans vim vini et bibens ad satietatem, inebriatur, ut accidit Noë. Secunda,

quod possit. Tertia, quod debeat auferre hanc causam et hunc effectum impedire; si enim nulla lege teneat hanc causam amovere, sed e contra habeat justam rationem illam ponendi, non est cur mihi imputetur, saltem moraliter, quod ex illa contra meam intentionem sequitur. Hinc motus inordinati non imputantur voluntarii confessorio, vel chirurgo, cum isti non teneantur ideo omittere suum ministerium, sed e contra justam habeant causam illud exercendi.

Quandonam autem quis tenetur omittere seu auferre causam ex qua sequitur malus effectus? Quæstio soluta difficilis propter diversitatem casuum occurrentium, pro qua videnda sunt quæ dico in tractatu *de Jure et Justitia*, dissert. VI, a. 12, in prænotaminibus, ex quibus hæc pauca repeto.

Ut dignoscatur quando debeat vel non debeat omitti seu auferri causa propter malum effectum ex ea, sive per se, sive per accidens secuturum, debet comparari malus effectus cum bono, et simul pensari quantus sit influxus causæ in effectum malum: ita ut, si causa per se et proxime influat in effectum malum, et iste præponderet bono effectui, sit gravis obligatio omittendi aut auferendi causam; nulla vero, si bonus effectus præponderet, aut saltem æquivalet malo. Qua ratione diximus non esse necessario omittendam justam defensionem ex qua proxime sequitur mors injusti invasoris, quia vita innocentis præponderat aut saltem æquivalet vitæ nocentis; nec debet attendi damnatio quam incurrit injustus invasor, quia hæc non sequitur ex justa invasi defensione, sed ex malitia invadentis, quam deponere penes ipsum est.

Si vero causa remote et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, quamvis non præponderet aut non æquivalet malo, non est obligatio auferendi causam, quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili

propter motus inde exsurgentes. Si vero causa leviter et remote influens sit in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, erit tunc obligatio illam auferendi, sed levis et sub veniali tantum, nisi in hoc et præcedenti casu agatur de gravi damno proximi: quia ista obligatio æstimanda est juxta quantitatem influxus causæ; cum enim effectus non sit voluntarius nisi in causa, et leviter ac remote contineatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque ad levem culpam imputabilis, et ulterius levis obligatio auferendi causam ob illum effectum. Hinc teneris sub veniali abstinere a conversatione honesta, sed inutili, vel a lectione curiosa ex qua prævides secuturos motus inordinatos, idque non solum ratione ipsius causæ, quæ jam est in se venialis, sed etiam ratione ipsius effectus. Dixi pro his duabus ultimis assertionibus, « nisi effectus malus sit in grave damnum proximi; » tunc enim foret gravis obligatio amovendi causam, quia charitas jubet nos non solum non causare malum proximo, sed etiam, in quantum commode possumus, illud impedire.

4º Dividitur voluntarium in *positivum* et *negativum*¹. Author vocat directum et indirectum. Voluntarium positivum seu directum est quod a voluntate per realem influxum procedit, ut sunt omnes actus elicit vel imperati a voluntate. Voluntarium negativum seu indirectum non procedit quidem a voluntate per realem influxum, ab ea tamen dependet, unde dicitur ab ea negative procedere, ut omissio missæ, in eo qui advertens ad instantem ejus celebrationem, studio se accingit, absque eo quod actu positivo dicat: « Nolo audire. »

[5º Dividitur voluntarium in *expressum* et *tacitum*. Voluntarium expressum est illud quod distincte verbo aut signo declaratur. Voluntarium tacitum est illud quod distincte non declaratur, sed ex quodam facto vel aliqua omissionem colligitur, juxta regulam 43 Juris: « Qui tacet

1. Ibid., a. 3, 0.

consentire videtur. » Verum in illo voluntario interpretando caute et discrete procedendum est, propter hanc aliam Juris regulam, quæ est 44 : « Is qui tacet, non fatetur, sed neque utique negare videtur. » Addendum est igitur, ut prior regula recte intelligatur : « Quando loqui tenetur, et potest. »]

Hæ sunt communiores voluntarii divisiones, quædam aliæ occurrunt in sequentibus.

Petes utrum voluntarium perfectum sit idem quod liberum.

Resp. negative. Datur enim voluntarium necessarium ex perfectione cognitionis, quod est perfecte et perfectius voluntarium quam liberum, nempe amor beatificus. Hic namque procedit a principio maxime intrinseco, scilicet a voluntate toto corde, toto affectu et conatu Deum amante, et est cum perfectissima cognitione, nempe clara Dei visione perfectissime influente in eum amorem et totam universalitatem intellectus et voluntatis adæquante. Ergo.

Idem argumentum fieri potest de amore necessario quo Deus seipsum diligit et producit Spiritum sanctum. Absurdum namque foret imaginari Deum minori inclinatione et imperfectiori cognitione seipsum diligere, quam creaturas, quas libere amat.

ARTICULUS II

Utrum omissio et effectus ex ea secutus sint voluntaria sine præcepto ponendi actum qui omittitur ?

Nota 1^o. Quæstio non est de omissione directe voluntaria, quando nempe actu omittens, vult actu positive omittere; fatentur enim omnes quod tunc non requiratur præceptum seu obligatio ponendi actum qui omittitur, ut omissio sit voluntaria, quia tunc voluntas directe et positive terminatur ad illam. Sed quæstio est de omissione

indirecte voluntaria, quando scilicet aliquis advertens ponit aliquem actum impossibilem cum actu qui omittitur, v. g., quis, dictante judicio practico missam mox celebrandam et posse audiri, eligit manere domi, vel ludere, aut studere, absque eo tamen quod dicat : « Volo omittere missam. »

Nota 2^o esse distinguendum inter omissionem culpabilem et voluntariam; certum est enim non esse culpabilem sine præcepto ponendi actum qui omittitur.

Dico 1^o : Ut omissio sit voluntaria, non requiritur præceptum seu obligatio ponendi actum qui omittitur.

Probatur 1^o ratione fundamentali. Voluntarium est a principio intrinseco cum cognitione finis. Atqui, secluso præcepto ponendi actum qui omittitur, ejus omissio est a principio intrinseco cum cognitione finis. Ergo. — *Prob. min. 1^o* Supponimus intellectum advertere ad id quod omittitur, alias foret mera oblivio aut omissio negativa. *2^o* Ista omissio pendet a voluntate, ut ponatur vel non ponatur. *3^o* Voluntas elicit advertenter aliquem actum cum actu omisso impossibilem, per quem libertas actu exercetur et ex quo sequitur omissio. Ergo, secluso præcepto, omissio est a principio intrinseco cum cognitione finis, consequenter voluntaria indirecte, eo scilicet modo quo omissio potest a voluntate procedere. Quid opponant adversarii huic rationi fundamentali dicemus in solutione objectionum.

Confirmatur. Qui omittit libere, omittit voluntarie. Atqui qui studio intentus omittit missam die feriali, non minus libere omittit quam die festo. Ergo.

Probatur 2^o conclusio a posteriori. Multæ sunt omissiones voluntariæ indirectæ actuum non præceptorum, sic, v. g., qui studio vel orationi vacans omittit calefactionem, vel recreationem, vel aliquam aliam commoditatem licitam, sed non præceptam, non per volitionem directam illarum omissionum, sed ex electione voluntaria studii vel orationis eo tempore, vel ea occasione qua posset licite his commoditatibus frui; has, inquam, omissiones

esse indirecte voluntarias, nemo, putem, inficiabitur, cum sint meritoriae. Ergo palam est, posse dari omissionem voluntariam indirecte absque præcepto.

Dico 2^o : Effectus consequens seu concomitans omissionem, non est voluntarius absque obligatione illum impediendi, nisi forte omissio per modum medii ad hunc effectum ordinetur.

Probatur 1^o a priori. Effectus sequens seu concomitans omissionem, seclusa obligatione illum impediendi, neque physice, neque moraliter procedit a voluntate : non physice, quia voluntas præcise omittens nullum habet influxum physicum in hujus effectus existentiam, neque omissio, cum sit non ens, potest illum physice causare; non moraliter, quia non est ratio cur effectus in quem nullo modo voluntas physice influit, in ipsam refundatur, ut in causam, nisi quia potuit et debuit impedire. Hoc ipso autem quo potest et debet impedire hujusmodi effectum, effectus incipit pertinere ad ipsam, et est illi debita cura illum impediendi, unde omissio impediendi reputatur pro volitione effectus, quia nemo præsumitur nolle implere suum debitum, nisi magis velit oppositum. Ergo, seclusa obligatione impediendi effectum secutum ex omissione, iste effectus non est voluntarius.

Confirmatur ex discrimine quod est inter ipsam omissionem et effectum illam sequentem aut comitantem respective ad voluntatem. Omissio per se immediate, nulla alia causa interveniente, pendet a voluntate; voluntas enim æque immediate potest non velle ac velle. Unde, ut non volitio, seu omissio volendi, sit voluntaria indirecte, non indiget alia causa, sed dumtaxat advertentia et suspensione influxus modo vitali, quod præstat eliciendo alterum actum impossibilem cum actu qui omittitur; tunc enim omissio procedit indirecte a principio intrinseco cum cognitione finis. At vero effectus omissionem sequens, aut concomitans, non est per se immediate a voluntate, sed mediante alia causa interveniente : sic, v. g., dum omitto separare duos rixantes, occisio inde secuta neque a mea voluntate, neque a mea omissione

causatur, sed a gladio occisoris; item, quando nauta omittit gubernare navim, neque ejus voluntas, neque ejus omissio submergit navim, sed tempestas. Ut ergo talis effectus refundatur in voluntatem, ut in causam, et dicatur interpretative voluntarius, debet assignari aliquid quo fit ut pertineat aliquo modo ad voluntatem et aliquam connexionem habeat cum illa, et aliud assignari non potest, nisi præceptum illum effectum impediendi, ut dixi in prima probatione.

Probatur 2^o a posteriori. Dantur effectus sequentes aut comitantes omissionem voluntariam, qui nullo modo sunt voluntarii defectu obligationis illos impediendi : sic Deus omittit voluntarie impedire peccata hominum, et tamen peccata non sunt illi voluntaria, quia non tenetur illa impedire.

Dixi in conclusione : « Nisi forte omissio per modum medii ordinetur ad hunc effectum; » quia tunc manifestum est quod talis effectus esset directe intentus et volitus, consequenter positive et directe voluntarius : ut si quis eo fine ut patiatur frigus mortificationis ergo, omittat accedere ad ignem; frigus est ipsi positive voluntarium, quia per se intentum et volitum.

Obj. 1^o contra primam conclusionem : S. Thomas, hic, a. 3, o, dicit : « Quia igitur voluntas, volendo et agendo, potest impedire hoc quod est non velle et non agere, et aliquando debet, ideo non velle et non agere imputatur ei quasi ab illa existens. » Ergo, juxta S. Thomam, omissio sine præcepto non est voluntaria.

Resp. S. Thomam loqui de omissione quæ sit simul culpabilis et voluntaria, ut patet ex hoc vocabulo « imputatur. »

Obj. 2^o : Omissio, v. g., missæ, non est voluntaria, nisi habeat rationem privationis, quia omissio negativa erat jam in voluntate, antequam vellet aut nollet, et non instante tempore missæ. Atqui, secluso præcepto, omissio missæ non habet rationem privationis, sed meræ negationis. Ergo. — Prob. min. Privatio est carentia formæ debite subjecto. Atqui, secluso præcepto, non est debi-

tum audiendi missam. Ergo. Et hoc est præcipuum fundamentum Gonetii.

Resp. cum Contensonio : *Nego* min.; ad prob. *dist.* min. Secluso præcepto, non est debitum audiendi missam legale et morale, seu obligationis, *conc.* min.; non est debitum physicum et naturale, seu dispositionis et exigentiæ, *nego* min. Duplex itaque debet distingui debitum, unum morale et obligationis, vi legis obligantis, alterum naturale, vi dispositionis exigentis. Et huic duplici debito respondet duplex privatio : una est carentia actus debiti vi præcepti, altera carentia actus debiti vi dispositionis ad illum. Quamvis ergo opus, v. g., auditio missæ die feriali, non sit debita vi præcepti, attamen, posita advertentia et dictamine proponente practice missam hic et nunc celebrandam, missa est debita debito naturali, seu exigentiæ et dispositionis; negari enim non potest quin cogitatio et dictamen de aliquo actu sit dispositio ad illum, cum initium cuiusvis operis sit cogitatio de illo. Quando ergo homo respuit hoc dictamen, et per hoc prudens et sciens se convertit ad actum impossibilem cum auditione missæ, non solum negative, sed privative se habet ad illam, et eam voluntarie omittit : sicut, v. g., dum materia est disposita ad aliquam formam, forma est illi debita, et si, non obstante hac dispositione, alia introducatur, dicitur ea privari.

ARTICULUS III

Utrum violentia causet involuntarium?

Assignantur communiter quatuor causæ involuntarii : violentiæ, metus, concupiscentiæ et ignorantia. Sed

Nota semel pro semper quod, dum dicitur, sive violentiam, sive metum, sive concupiscentiam, sive ignorantiam causare involuntarium, non sit sensus quod violentia, metus, concupiscentia, aut ignorantia, physice influant in actum voluntatis, in ipsam, ut ita dicam, invo-

luntarietatem, sed quod vel physice vel moraliter moveant ad actum qui vel simpliciter vel secundum quid contrariatur inclinationi voluntatis; unde illa involuntarietas causatur ab amore alicujus boni oppositi. Sic, v. g., dum quis, metu naufragii, movetur ad projiciendas merces, ista projectio est involuntaria secundum quid, quia repugnat affectui quem projiciens habet conservandi suas merces; unde involuntarium quod reperitur in ista projectione non causatur a metu, sed ab amore mercium. Proprius ergo sensus harum quæstionum est, quod actus ex violentia, metu, concupiscentia et ignorantia sint involuntarii simpliciter vel secundum quid, in quantum supponunt in agente inclinationem simpliciter vel secundum quid contrariam præsentii actui ad quem movent.

Suppono violentiam non posse inferri voluntati quoad actus elicitos, bene tamen quoad actus imperatos.

Prima pars constat, quia violentum quod est a principio extrinseco, passo renitente, est contra inclinationem passi. Atqui actus elicitus a voluntate non est a principio extrinseco, sed intrinseco, nempe a voluntate, nec contra inclinationem passi, cum nihil sit aliud quam inclinatio ipsius voluntatis in suum objectum. Unde merito dixit S. Anselmus, *de Lib. arbit.*, cap. 6 : « Invitus nemo potest velle aliquid, quia non potest velle, nolens velle. »

Patet etiam secunda pars, quia possunt membra, seu potentiæ exteriores, ab extrinseco vi moveri aut impediri contra imperium voluntatis¹, ut si, v. g., voluntas vellet videre, posset quis vi claudere oculos, et si nollet videre, posset vi aperire oculos : et sic de cæteris. Ergo.

De his actibus imperatis, quæstio est utrum violentia causet in iis involuntarium. Pro quo

Dico : Violentia causat involuntarium simpliciter², seu actus ex violentia factus est involuntarius simpliciter.

Intellige conclusionem de violentia absoluta, quam quis adhibito omni legitimo conatu superare non potest,

1. Hic q. 6, a. 4, o. — 2. Ibid.